

Q. R. IV. 43.

x 2044 114

I, 10

Ye
6153

DESCRIPTIO HISTORICA

NOVI FONTIS,

QUI NON ITA PRIDEM IN
MISNIÆ TRACTU, MONTIUM SUDE-
torum fines contingente, mirabiliter in lu-
cem revocatus, ob salubritatem, famâ con-
stante, simul & promiscuæ multitu-
dinis sermone celebrari
capit:

Concinnata, & in lu-
cem veritatis prolata

à

M. MARTINO PFUNTELIO,
Plauensi, Scholæ Patriæ
Rectore.



CURIÆ VARISCORUM

Excusa typis Matthæi Pfeilschmidii,

Anno Christi M. DC. II X.


Germanice cum præfat. D. Matth. Hoc, Sup. Plav. adnexa M. Jos. Pfil. Brun. 1666
Druck von Nath. und Georg. Hoff. des Buchhandl. zum 3. Saun in
Münster (Genæ 1608. 4. pl. 5.)





sing
eni
aqu
di r
clan
exi
salv
Idc
tio
ref
tim
rib





LECTORI S.

UÆSITUS NON RARÒ hætenus, quid de fonte, nuper in lucem revocato, sentirem, disertè semper respondi, me eum pro singulari Omnipotentis dono habere: Quidni enim & nunc magna DEUS faciat, tum per aquas, tum per alia, qui olim sæpius per ejusmodi media gloriam virtutis & bonitatis suæ declaravit? Cumq; mihi à fide dignissimis & eximiis viris, exempla valde memorabilia, de salutari fontis hujus novi effectu narrata sint: Idcirco non honorificè tantum de aquâ hæc sentio: sed & ea, quæ præsens Autor descriptionis refert, veritati consentanea, partim credo, partim scio: Benedictus sit Dominus, in cunctis operibus suis; faciatq; fontem gratiæ suæ immensa

A 2

stillare

4.

*stillare super nos, & posteros nostros in aeternum,
per JESUM CHRISTUM, Amen.*

Scrib: Plavia, a. d. 17. Julii. Anno 1608.

MATTHIAS HOË, S. Theo-
logiæ Doctor.



CLARIS-



CLARISSIMIS ET

EXCELLENTISSIMIS VIRIS, PIETATE
verâ, doctrinâ exquisitissimâ, sapientiâ singulari,
facundiâ multâ, splendore virtutum eximio,
atq; auctoritate gravissimâ con-
spicuis:

DOMINO JACOBO WIRTHIO,
J. U. Doctori, & ejusdem Professore celeberrimo
in Academiâ Lipsensi: Item Judicii Provincialis Assessori, &
Ecclesiastici Senatus ibidem Prasidi vigilantissimo, nec
non Illustrissimorum Ducum Vinaricnsium
Consiliario fidelissimo:

ET

DOMINO PAULO CALNBER-
gio, J. U. Doctore præstantissimo, Judicii Pro-
vincialis, quod est Lipsia, Advocato experientissimo, nec non
Senatus Ecclesiastici, Scabinatus, ac Reipublica ibi-
dem Assessori, & Senatori honora-
tissimo:

Mecoenatibus suis obser-
vantiâ debitâ colendis.

A 3

Inter



PRETER ORNAMENTA,
 quibus Misnia, præ cæteris re-
 gionibus, est affecta divinitus, primas tenet
 sana, & à fecibus Pontificiis ministerio divi
 LUTHERI perpurgata doctrina, qua, velut
 rore caelesti, dicta regio anno abhinc septimo & octogesimo irriga-
 ta, cepit, præter alias ἐπαρχίας omnes, veram DEI, & ejus Filii
 JESU CHRISTI cognitionem.

Ab hoc, & aliquot ejus ornamentis præcipuis (qualia sunt
 summus Magistratus Φιλόθεός τε καὶ Θεοφιλής: tuenda pacis &
 administranda justitiæ cupiditas, & studium: Scholarum, &
 Ecclesiarum probè constitutarum præstantia: virorum doctissi-
 morum frequentia: rei frumentaria, & annuum piscosorum, fon-
 tiumq; salubrium ubertas: nec non cæli salubritas, & temperies)
 cum discessero, nihil videtur splendidius, ne dicam augustius fonte
 novo, qui non ita dudum in eâ Misnie parte, quæ montes Sude-
 tos attingit, exortus, viribus & effectibus aliquot inclaruit.

Hujus novi fontis circumstantias, cum de iis nonnulli ma-
 lam animis imbiberint opinionem, hoc brevi scripto historico
 strictim persequi libuit, ut, evulsis opinionum adversarum com-
 mentis, ipsi fonti debita constet commendatio. Etsi verò hujus
 rei tractatio sciolis, & sapientulis ad Medicinæ magis, quàm hi-
 storiarum studiosos pertinere videtur: tamen cum in hac descri-
 ptione compendiariâ fontis hujus ὁσία, & natura nec explicata,
 nec excussa; sed ejus saltem origo, & vires hætenus expertæ, cogni-
 taq; exhibeantur, & enumerentur; non erunt sanè, qui, me in
 alieno choro pedem, arbitrentur, posuisse.

Vobis autem, viri Clarissimi & excellentissimi, hunc meum

laborem

laborem qualemcungꝫ dedico, ut me, & mea studia deinceps com-
mendata habeatis: quod cum impetra vero, nihil rerum omnium
erit amplius, quod malimꝫ.

7.

DEUS optimus maximus, verus ὁ φιλοδύτης, vos diu
florentes & salvos conseruet, & faxit, ut labores, & instituta
vestra nunquam non felicia sint, & fausta. Plavia Vod-
landorum, 17. Julii, Anno incarnationis Dominica 1608.

E. E. V. V.

obseryantissimus

M. Martinus Pfuntelius,
Rector Scholæ ibidem.



DESCRI-


 DESCRIPTIO HISTORICA
 CUIUSDAM NOVI FONTIS
 IN MISNIA.



HOC ANNO, AB INCARNATIONE & λόγῃ salutiferâ, millesimo sexcentesimo octavo, mense Aprili præcipiti, fons quidam in Misniâ celebritatem maximam habere cæpit: cujus historiam paucis expositam, libro meo historico, brevi admodum edendo, placet adjicere, ut inde cognoscatur ejus conditio, quibusdam de eo perperam judicantibus, nec non multis ex multitudine promiscuâ vires & facultates ipsi fermè miraculosas ascribentibus, & proinde ad eum, velut ad ἀγιασῆριον & sacram anchoram, non tam visendi, quàm ejus aquam ad depellendos omnis generis morbos adhibēdi causâ, undiq; agminatim confluentibus, & quasi turmatim accurrentibus.

I.
LOCUS.

Scatet hic fons, ultra Muldam Schnebergensem, ad Solem orientem, in quodam prato medio, eoq; paludoso, quod nemus quoddam ambit, & ad Meridiem versus, attingit quàm proximè pagus Niederzweinitz / distans ab oppidulo LESNICENSI

milliare

milliare dimidium, & ab urbe metallicâ Nivemontio sesquimilliare. Unde patet, hunc fontem novū situm esse in eâ parte Misniæ, quæ Sudetis montibus, Misniam à Bohemiâ dirimentibus, adjacet.

Sunt autem propter hunc fontem tres abietes: unde quondam dictus fuit fons trium abietum: quam appellationem veterem adhuc retinet.

Pratum, in cujus medio prorumpit fons dictus, possidet nunc temporis quidam colonus in prædicto pago *Niederzweinitz*, nomine Nicolaus Grommer, subjectus cuidam Nobili à Gailenaw, qui est in Electoris Saxonix potentissimi fide, simul & clientelâ. Id quod eò pertinet, ut Saxonix Ducem & Electorem in prædictum locum, ubi hic fons oritur, habere potestatem supremam, omnibus innotescat, imperitâ multitudine aliis, nescio, quibus eam tribuente.

Præterea hunc fontem tam nomine, quàm signis aliquot & virium, & facultatum olim quoq; fuisse cognitum, minimè dubium est: siquidem is nomen suum antiquum adhuc retinet, simul & multi provectâ ætate, propè ipsum habitantes, ejus vim & facultates pristinas in recenti memoriâ habent, omnia per majores suos edocti.

Miretur verò quispiam, quid causæ fuerit, quare

9.

2.
NOMEN.

3.
POSSESSOR.

4.
ORIGO.

B

desierit

desierit olim, & finitimis neglectui fuerit hic fons, cum tamē ejusmodi fontes salubres magni aestimari, nec nō ab injuriis quibuscunq; diligenter custodiri soleant: cujus rei hanc causam afferunt, qui ppē sunt à sæpē nominato fonte, cum videlicet annis abhinc quinquaginta à nimbo tempestuoso fuisse opertum, & absorptum, ita, ut hucusq; per meatus subterraneos lapsus, secretos egerit cursus: donec nō ita pridem, apertis aquæ venis, cæperit ebullire, & clarescere: quod quomodo evenerit, & acciderit, tribus verbis dicam, ut origine hujus fontis ad veritatem revocatâ, nugæ cōmenticiæ posthabeantur.

Ad Septentrionem versus, abest oppidulum, *Zweinitz* ab hoc fonte novo milliare dimidiū: huic finitimus est quidam pagus nomine *Kunheid* ubi colona quædã pessimè valuit annis octonis, ita graviter occupata, & tentata ulcere inveterato, eoque maligno, in altero pedum, ut ejus vita in discrimen adducta videretur. Hæc colona de pristinis ab ægritudine viribus recuperandis sollicita, quærit à vicinis remedia contra gravem & diuturnū morbum, doloris magnitudine magnitudini medicinæ haud concedente: ubi trium abietum fonte, velut antidoto, jubetur uti, cum sint, qui, quondam complures eo curatos, neminerint. Horum consiliis paret

viribus

viribus exhausta mulier, tētans, & periclitans *diva-*
mu fontis, tum angustam scaturiendi viam, antehac
à foenifecis ad apertam, habentis, ejus aquâ lavando
pedem affectum, per aliquot dies: quo factò, secun-
dum DEUM, beneficio hujus fontis solius, ex octen-
ni morbo planè convaluit. Hinc ad pristinam va-
letudinem, & virtutem divinitus revocata mulier
DEI gratiam clementissimã publicè celebrari, pari-
ter & cōmemorari curat: unde rumoribus magnis
de salubritate hujus fontis, in viciniâ, & passim lo-
COR, dissipatis, maximus ad eum hucusq; concursus
hominum auctoritate tenui & summâ non tam ex
proximis, quàm longinquis locis, factus est, & ad-
huc quotidie fit: cui rei sum egomet testimonio,
qui hunc fontem novū cum Collegâ meo contem-
plati, summâ hominū frequentiâ stupuimus. Nunc
equidem hic fons, obstructis aquæ meatibus retu-
ratis, ac opere temporario, figuram quadrangulam
exprimente, conclusis, exuberat tantâ aquæ copiâ,
ut nunquã aquâ salienti deficiatur, quamvis horis
singulis ab eo plus quatuor culeos hauriatur.

Porro aqua hujus fontis, de fonte ipso hausta, vi-
detur esse colore glauco, & sapore dulci; quos pau-
lulū mutat, aliorsum deportata, præsertim si (ut ple-
runq; fit) picatis, & id genus aliis vasis infusa feratur.

S.
COLOR
&
SAPOR.

12.

6.

TEMPERAMEN-
TUM.

7.

VIREs.

Sustulit huc-
usq; hujus
fontis aqua:

1.

Febrim ter-
tiamam:

2.

καρδιαλ-
γίαν:

3.

κεφαλαλ-
γίαν, και
αβλεψίαν:

De proprietatibus insuper, & temperamentis hujus aquæ, cum non ita pridem à palustri seperata sit, hucusq; parum constitit, nisi quòd, experimento factò, compertum est, eam lapidis ærarii, Glareæ, & Chalcanthi non nihil admistum habere, & à nostris aquis scatentibus pondere haud differre.

Cæterum licet hæc aqua cruda quibusdam aut nihil, aut parum habere videatur virium: tamen omni virtute spoliari nec potest, nec debet. Nam qui hæctenus hîc, & alibi, medicamentis quamvis præsentaneis sani fieri haud potuerunt, illi, secundum DEUM, solo hujus aquæ beneficio aliquot corporis vitiis, & morbis levati, vires ab ægritudine pristinas reparârunt.

Etenim quidam nobilis annorum septendecim, in Scholâ nostrâ studiis liberalibus operans, antehac feбри tertianâ laboravit, quæ, medicamentis febrim sistere haud valentibus, potu hujus aquæ depulsa, & quasi suffocata, remisit.

Sic non ita pridem cujusdam civis nostratis filiola, undecim annos nata, καρδιαλγία fuit affecta, ita, ut ipsi vitæ periculum esset, quod, laboranti filiolæ hujus fontis aquâ, velut medicamento ἀναληπτικῶ καὶ ἀνωδύνῳ, potui datâ, propulsatum fuit.

Sic quoq; quædam vidua ἐτερόφθαλμο apud nos,

hucusq;

hucusq; κεφαλαλγία καὶ ἀβλεψία fuit pressa: quæ natu-
ræ ἀρρώσθηματᾶ declinârunt, hujus fontis aquâ à viduâ
in ciborum coquendorum usum receptâ.

Hæc insuper aqua δυσπνοιῆς, καὶ κωφοῖς deprehen-
ditur salutaris, & fructuosa: siquidem ex ejus κατα-
πόσει quidam nobilis celeberrimi nominis, in Dioe-
cesi Plauensi, à δυσπνοία refectus, & confirmat⁹, con-
valuit, & multi, in hac viciniâ, à κωφώσει, ex ejusdem
aquæ ἐπιχύσει in aures καὶ σαγόνας factâ.

Præterea Nivemontii hæc aqua à viro quodam,
podagræ doloribus ardente, locis affectis extrinse-
cus adhibita, dolores & tormina reddidit leniora:
quod Medicus doctissimus ibidem virtute metal-
lorum, quibus hæc aqua est referta, rectè judicat
evenisse: siquidem hæc, & id genus aquæ salubres,
non ex vi suâ, & ἐνεργείᾳ propriâ: sed propter inhæ-
rentia metalla, morbis aliquot medentur, metallis
eas in melius provehentibus, & per eas ἐνεργεῖαν pro-
priam exerentibus.

Quid? quòd propè fontem habitantes refe-
runt, hanc aquam olim ad curandam scabiem, &
ulcera πεπαλαιωμένα plurimùm profuisse: qua fa-
cultate adhuc pollet, in viciniâ fontis, aliquot ejus
usu ex deploratis ulceribus, & scabie recreatis &
restitutis.

13.

4.
δυσπνοιαν,
καὶ κώφω-
σιν:

5.
Tormina po-
dagrica:

6.
Scabiem &
ulcera πε-
παλαιω-
μένα.

B 3

Cum

Cum igitur ex his constet, hunc novum fontem ad depellenda quædam, humani corporis $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ plurimum valere: ob dictas sanè virtutes, nec sperni, nec in fastidium adduci, (quod quidam faciunt, metuentes ab eo malum Medicinæ, & Pharmacopoliis) sed ipsi, tanquam medicamento metallico, locus suus attribui debet; ut ne divina dona negligendo accersamus, & attrahamus poenam D E I, cujus ordinatione, & $\omicron\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha$ paternâ hujusmodi fontes non minus, quàm herbæ sunt ad sustentandam valetudinem usui.

Mala, ex usu hujus aquæ in-tempestivo nata.

Causæ usus in-tempestivi.

Quòd verò hæc aqua cruda, à quibusdam, instar medicamenti morbos quoscunq; fortiter oppugnantis, hucusq; sumpta, civerit alui tormina, capitis gravedinem, & scabiem in manibus & pedibus: id non aquæ, sed hominibus novitate hujus potus captis imputandum, arbitror. Nam quomodo hæc aqua cruda corporibus ægris salubris esse potest, multis eâ temerè ac inconsultè utentibus ad removandum morbos quoscunq;?

Adhæc quis nisi mentis emotæ credat, hanc aquam ad pellendas quasvis corporis infirmitates expedire, cum nulla herba, quamvis saluberrima, ad sanandos quoslibet corporis humani morbos congruens sit, & apta?

Sunt

Sunt igitur variis morbis, iisq; non tam sanabilibus, quàm insanabilibus ægri Coræbo, & Melitide stultiores, (quorum uterq; Trojam jam everfam venisse scribuntur, auxilium Priamo laturi) quòd turmatim ad hunc fontem, accurrunt, verissimè statuentes, & credentes, ejus aquam tollendis morbis quibuscunq; medicamen accommodum esse, Medicis in consilium non adhibitis.

Sed hæc aqua cruda in usu medico (prout meafert opinio) minimè potest esse, nisi consiliis Medicorum expetitis, qui, cognitis hujus aquæ qualitatibus, & temperamentis, animadvertant, quibus morbis, & quomodo ea conveniat: id quod diligenter notent hac aquâ deinceps usuri, ut eam ineptè assumendo, jacturam valetudinis ne faciant.

Atq; hæc de fonte novo jam dicta sufficient, quæ, cum non à Medicinæ, sed historiarum studio sint profecta, pius & candidus lector non aliter, atq; scripta sunt, accipiet.

DEUS omnipotens, verus Ὁ Αἰχίατρος, excitet, & inflammet Medicorum animos, qui hujus fontis vim, & naturam propriam perscrutati, multorum valetudini consulant, & faxit, ut hæc aqua, deinceps salutariter in usu medico data, multis sit saluti: cui, & ejus filio JESU CHRISTO, atq; SPIRITUI SANCTO laus, honor, & gloria seculis infinitis debentur, AMEN.

65V22

EPIGRAM-

Benè usuris hac aquâ consulendi sunt Medici.

EPIGRAMMA
 IN DESCRIPTIONEM HISTORICAM
 NOVI FONTIS IN MISNIA.

Lucet in hoc toto divina potentia mundo,
 Presentemq; notant cuncta creata DEUM.
 Jam mens est, aliis missis, elementa tueri,
 Est quibus à summo vis data summa DEO.
 Nemo carere potest illis, his utimur omnes,
 Sunt bona, dante DEO, sunt mala, dante DEO.
 Quin horum vires servatq; augétq; Creator,
 Possit ut his hominum vita caduca frui.
 Sic qui fons magnis est nuper viribus ortus,
 Roborat eterni facta stupenda DEI.
 Spe freti, accurrunt multi, letiq; recurrunt,
 Corde superstitione si modò nulla subest.
 Dicitur hic multis tamen esse, fuisse salubris,
 Dicitur hic morbos tollere sæpè graves.
 Et nostrum ad fontem lustrandum venit uterq;
 Totius & testes possumus esse rei.
 Ivimus, iverunt alii, vos ibitis, ibunt,
 Notior ut fontis fiat origo novi.
 Interea rectè fontem, Collega, celebras,
 Ut magis exiteat gratia tanta DEI.

M. Casparus Schulthesius,
 Scholæ patriæ Supremus.

FINIS.

Q. IV. 43.

x 2044

DESCRIPTIO

NOVI FO

QUI NON ITA

MISNIÆ TRACTU, M

torum fines contingente

cem revocatus, ob salubr

stante, simul & prom

dinis sermone

capit:

Concinnata

cem veritatis

à

M. MARTINO

Plauensi, Scho

Rectore



CURIAE VAR.

Excusa typis Mauha

Anno Christi M.

*Germanice cum praefat. D. Matth.
Brieff von Natur und Figur
Münster (Genae 1608. 4. pl. 5.)*



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black